



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica

Mayr, Anton

MDCCXXXII

Art. XIX. Solvuntur adhuc aliæ objectiones.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84303](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84303)

an sententia benigna sit vera, adeoque per se licite deducatur in praxin, sed, an supposito, quod invincibiliter judicetur vera, possit practicè adhiberi: quod utique affirmandum est.

ARTICULUS XIX.

Solvuntur adhuc alie Objectiones.

384. **O**B. 6. Qui sequitur sententiam, quamvis notabiliter minùs, tamen adhuc verè Theologicè probabilem, prudenter agit: ergo non peccat; quia omne peccatum est evidenter imprudens. Respondent quidam, omitendo ma, & ajunt, teneri hominem, prudentiùs agere: sed non malè nonnemo objicit his illud Apostoli 1. Cor. 7. v. 38. *Qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit, & qui non jungit, melius facit*: scilicet, quamvis hic melius faciat, non facit ille malè: sic neque faceret imprudenter, qui sequeretur notabiliter minùs probabilem, licet alter faciat prudentiùs, adeoque nec ille peccaret; quia, quamvis minùs, tamen adhuc prudenter agendo, non peccamus. Resp. igitur neg. antec. nam non video, quæ prudentia sit, relinquere motiva notabiliter graviora, & agnita quæ talia, atque amplecti notabiliter leviora; nec enim talis prudenter potest directè judicare, sententiam minùs probabilem esse veram: nec reflexè se excusare dubio, aut ignorantia invincibili: neque prætere legem non sufficienter promulgatam, aut iniuriam, quæ omnia patent ex suprà jam dictis.

385. Dices 1. Titius Juvenis non potest argui imprudentiæ, si sic discursat. Licet videam, in Religione longè majorem pro me fore spem salutis; quia tamen in matrimonio video sufficientem salutis spem, & simul, quia Religio mihi esset onus valde difficile, ideo me determino ad matrimonium; ergo neque alius potest argui imprudentiæ, qui sic discursat: Licet videam in altera opinione longè majorem spem veritatis, salutis, vel rectè agendi, tamen; quia benignior sententia mihi adhuc sufficientem spem veritatis, salutis & rectè agendi præbet, & opposita opinio est mihi onus valde difficile; me determino ad sequendam hanc opinionem benigniorem. Resp. 1. om. antec. neg. conseq. Titius, qui certus est, se non obligari ad Religionem, potest utique habere spem salutis in sæculo, aliquo modo sufficientem; quia potest prudenter judicare, se non peccare, non ingrediendo Religionem. At, quando obligatio legis est longè probabilius, tunc nec est sufficiens spes veritatis, saltem non talis, ut quis possit prudenter judicare, non dari obligationem; nec est sufficiens spes salutis, aut rectè agendi; quia non potest quis in eo casu prudenter judicare, se non peccaturum. Hæc clarescent magis ex dicendis. unde

Resp. 2. dist. antec. Titius non potest argui imprudentiæ peccaminosa. om. antec. non alicujus imprudentiæ defectuosa. neg. antec. & multo magis conseq. ubi intervenit imprudentia peccaminosa. Concedo quidem, quod Titius per se non peccet (quidquid sit, an peccet per accidens, ratione periculi proximi &c. qua de causa omisi antec.) At, si nullo modo impruden-

ter agit, cur toties inclamant ascetæ de negligentibus vocationem? Certè est innegabile, hunc vocationis neglectum saltem esse magnam imperfectionem positivam, quæ verè prudens non est.

Nec dicatur, quod aliquis etiam, qui non sentit vocationem ad Religionem, tamen possit videre, esse sibi majorem spem salutis in Religione. Resp. eam neg. illat. DEUS neminem vocat ad statum, in quo pro ipso est spes minor salutis: & quibusdam major spes est in sæculo, quàm in Religione: unde, si talis habet indicia sufficientia alterius vocationis, non debet credere, majorem spem salutis pro se fore in Religione. Quod si tamen ponatur aliquis quæcunque de causa judicare, majorem spem sibi fore in Religione, hoc non obstante prudenter sequitur voluntatem Divinam, qua putat se vocari ad statum sæcularem, & optime debet sperare. Verbo: positivè prudenter agimus, quando agimus ex motivo virtutis (sicut talis agit ex motivo implendi voluntatem Divinam) etiam inferioris; quia datur prudens, & prudentius: at, si ex nullo motivo virtutis agimus, non agimus positivè prudenter prudentiâ Christianâ, quamvis sæpe dicamur prudenter agere prudentiâ hujus mundi. Ex quo tamen non sequitur, quod semper agamus imprudenter peccaminosè; quia, quando certò nulla est obligatio, ut in casu Titii, vel quando ex sufficienti ratione potest quis se resolvere, se hic & nunc non teneri ad aliquid, etsi istud ex nullo motivo virtutis omitat, non peccat, quamvis etiam agat ex hoc solo motivo, eò quod non teneatur. Si autem accederet motivum virtutis, posset positivè bene agere.

386. Ubi obiter noto, posse aliquid esse motivum virtutis in quibusdam circumstantiis, non in aliis, e. g. manere domi amore solitudinis, & collectionis animi, est sæpius motivum virtutis, non autem est tale, quando est obligatio audiendi sacrum in templo; sic etiam potest aliquid esse motivum virtutis in circumstantiis certitudinis de nulla obligatione, non autem in circumstantiis obligationis, notabiliter probabilius proposita; quia obligatio, ita proposita, prævalet alteri spontaneæ electioni. Sic, quando est notabiliter probabilius, rem non posse alienari, non est motivum virtutis, si eam dem in elemosynam. Quando ergo proponitur obligatio per motiva, notabiliter graviora, non video, quomodo non imprudenter quis agat, si ei non pareat. Certè si Titio proponeretur ingressus Religionis sub obligatione per rationes longè probabiliore, e. g. quia experientia longa ei ostendit, esse sibi periculum, & determinatas occasionem peccandi, vix evitabiles, aut vincibiles in sæculo, non video, quæ prudentia posset discursum, in antecedente objectum, facere, & in sæculo manere.

In casu nullius obligationis potest tandem Titius, saltem sine imprudentia peccaminosa (quamvis, si nullum motivum virtutis aliunde accedat, Christianam positivam prudentiam non agnoscant) potest, inquam, sic dicere: *Nolo ingredi Religionem; quia non obligor*. In casu autem obligationis, per notabiliter majora motiva proposita, nemo sic dicere potest; quia, si quid huc-

usque probavimus, id probavimus, quod ex nulla ratione, Christiana cum prudentia, dicere possit: *Non obligor*: præcisè autem se resolvere sic: *Nolo obligari, quia obligatio est mihi onus, & oppositum est mihi favorabile, etsi rationes longè fortiores sint in oppositum*: videtur tantum esse prudentia filiorum hujus sæculi, non filiorum lucis. Ex quibus etiam habetur, quod à casu, in quo certò nulla est obligatio, non sit paritas ad alium, in quo est obligatio notabiliter probabilior.

387. Dices 2. Potest quis sententiam minus probabilem absolute affirmare, vel judicare, esse veram: ergo etiam potest prudenter eam sequi. Resp. dist. antec. potest hoc absolute, om. antec. potest prudenter. subdist. casu, quo accedat aliud motivum virtutis. om. vel conc. antec. casu quo nullum accedat. neg. antec. & conseq. vide etiam num. 298. & seq. Sanè non malè Admodum R. P. Matthæus Kreslinger, insignis Scotista, in sua disquisitione Theologica de ultimo dictamine q. 2. §. 3. n. 64. ait, non fore prudentem, nisi prudentià carnis, qui diceret: *Ego quidem omnibus pensatis agnosco, hanc sententiam... familiorem falso, ... quia tamen desidero juxta mihi favorabiliorè operari, ideo absolute prudenter judico, illam... reipsa esse veram, quamvis attendendo ad contrarias rationes... graviores... gravius formidè de falsitate*. Quin aliud neque imprudenter posse fieri, ajunt Layman l. 1. tr. 1. c. 5. n. 5. Moniella stimulo 6. conf. n. 113. Suarez in 1. 2. tr. 2. disp. 10. sec. 1. n. 5. P. Thyrsus de usu opinion. probab. differt. 3. c. 2. n. 11. ubi longè plures adhuc citat: ad quod asserendum etiam valde inclinat Ralslerus disp. 3. q. 5. Quare, si qui sunt, qui hoc antecedens ex definitione sententiæ Theologicè probabilis putent parere, illi in definitione probabilitatis ab istis authoribus, & à nobis longè recedunt: & id, quod vel maximè est in questione, tanquam aliquod principium vitiosè petunt. Repetantur hæc dicta statim primo articulo hujus questionis à num. 292.

388. Dices 3. Potest subditus prudenter, relicta opinione probabiliori propria, conformare suum judicium per obedientiam cæcam judicio superioris minus probabili: Item potest quis prudenter judicare, proximum suum esse bonum, etsi probabilius ei sit, esse malum. Certè Angelicus 2. 2. q. 60. a. 4. in corp. & ad 2. docet, de proximis bene sentiendum, nisi manifesta ratio in oppositum appareat: ergo potest quis prudenter assentiri opinioni minus probabili præ probabiliori. Resp. Non videtur posse negari antecedens: unde auctores n. præced. allati, & negantes, posse voluntatem imperare assensum absolute præstandum opinioni minus probabili, vel debent asserere (ut videtur velle P. Thyrsus) quod e. g. auctoritas superioris ex opinione minus probabili faciat magis probabilem, ferme, ut auctoritas Ecclesiæ facit certa, quæ soli naturali lumini viderentur ex se incredibilia: quod, licet possit admitti, sæpissime fieri, tamen non videtur universaliter dicendum: cum superior non habeat infallibilem assistentiam Spiritus S. & sæpe superior subsequens corrigat acta, & præcepta prædecessoris: adeoque, vel priorem, vel posteriorem errasse, necesse sit.

Vel debent illi auctores explicari, quod

tantum velint, voluntatem non posse imperare assensum præstandum opinioni minus probabili, quamdiu intellectui adhuc applicata sunt motiva contraria magis probabilia: à quibus tamen considerandis possit voluntas eundem intellectum amovere, & dein, illis quasi disparentibus, hunc ad assensum, opinioni minus probabili præstandum permovere: quod mihi videtur probabilius dici. Sic autem voluntas poterit, licet non in omni, tamen in aliquo casu imperare assensum, præstandum opinioni minus probabili, quamvis tunc non ut tali agnitæ. Hoc autem voluntas faciet prudenter, si habeat motivum virtutis: at imprudenter, si tantum habeat pro motivo facultatem liberius vivendi. Hæc de mente istorum auctorum: ego, ut supra dixi, omitto, quod voluntas fortè etiam stantibus in oppositum motivis fortioribus, possit intellectum despoticè impellere ad assensum opinionis minus probabilis: at nego, id semper posse prudenter.

Unde in forma ad objectionem Resp. dist. conseq. potest hoc subditus, quando accedit prudens motivum imperandi talem assensum. conced. conseq. secus. neg. conseq. Assensus præstitus opinioni minus probabili, non est actus elicited prudentiæ (quæ, cum sit virtus intellectualis, non habet actus elicited, nisi certos) sed tantum est actus imperatus. Potest autem contingere, ut quis habeat motivum honestum virtutis, imperandi talem assensum: & tale motivum est obedientia erga superiorem, vel charitas erga proximum. Hinc assensus in antecedenti adducti sunt prudentes, sicut etiam prudens est, imperare sibi usum materiæ dubiæ sacramenti in casu necessitatis.

At, sicut non esset prudens, imperare sibi usum talis materiæ absente necessitate, ita nec est prudens, imperare sibi tales assensus absente motivo virtutis prudenti. In casu autem nostro non datur motivum virtutis; sic enim tenderet imperium: *Volo hanc sententiam, quamvis clarè, & notabiliter familiorem falso, quam vero, judicare tamen absolute veram: quia nolo esse obligatus lege, sed volo liberius vivere, & meam libertatem intactam retinere*. Quod autem hoc motivum sit motivum virtutis, & prudens prudentià verè Christianà, non tantum prudentià carnis, quam Apostolus reprobatur, planè dicere non audeo: & credo, nec adversarius auderet, si Christus dominus ipsemet eum interrogaret.

Dices 4. Possum ex motivo virtutis obedientiæ, vel charitatis, judicare, esse verum, quod ex se est tantum minus probabile, ut modò dictum: ergo etiam possum ex motivo virtutis humilitatis, seu ex honestate subjiciendi meum judicium judicio aliorum, judicare, esse veram opinionem, quamvis ex se tantum minus probabilem, tamen adhuc verè probabilem, adeoque eam sequi. Resp. neg. conf. in casu questionis; nam in tali casu, quando meum judicium subicio judicio aliorum, faventium meæ libertati, & non aliorum, eidem non faventium, motivum, in quo ultimo quiesco, non est exercitium humilitatis, sed amor libertatis, nolentis obligari ad tutius; si enim motivum esset humilitas, deberem meum judicium non minus subicere judicio aliorum, quando illi me obligant

ad servandam legem, quam quando ab ea servanda me deobligant.

Sed nec video, quæ virtus prudentis humilitatis sit, subicere iudicium suum potius auctoribus, nec magis doctis, nec majores rationes, sed minores asserentibus, & liberiora suadentibus, quam subicere illud auctoribus aliis, æquè doctis, & notabiliter majores rationes asserentibus, ac legis observationem suadentibus: certè non videtur esse prudentis, illos istis præferre; cum tamen vera virtus humilitatis, etiam prudens esse debeat. Aliud foret, si ego solus contra torrentem sentirem, ob rationes non adeò convincentes; tunc enim possem cogitare, alios esse me prudentiores: at, si sint plures mecum ejusdem opinionis, cur ex humilitate istos deserram, ut & me, & ipsos aliis subiciam?

ARTICULUS XX.

Satisfit iterum novis objectionibus.

389. **O**B. 7. Nostra sententia est nimis rigida: ergo rejicienda. prob. antec. plures leges non dantur, de quibus tamen probabilius est, eas dari; nam etiam falsa quandoque sunt probabiliora veris: ergo. Resp. neg. antec. ad prob. dist. antec. non dantur aliqua leges, de quibus probabilius est, eas dari. conced. antec. non dantur valde multæ. neg. antec. & conseq. Etiam plures leges existunt, de quibus non habetur major probabilitas: adeoque non debent observari: ergo fit compensatio: imò cum non teneamur servare leges, tam minus probabiliter existentes, quam æqualiter probabiliter existentes, fit compensatio ultra æqualitatem: ex hac enim benignitate DEI, nos in his duobus casibus non obligantis, sit, ut frequentius solvamus legibus existentibus, quam stringamur non existentibus, & elucet major bonitas DEI in remittenda, quam rigor in exigenda legum observantia.

390. Dices. Nostra sententia est causa peccatorum formalium: opposita autem tollit occasionem peccatorum formalium, & tantum est causa aliquorum peccatorum materialium: ergo ista est præferenda. Resp. si tollerentur omnes leges, illæ etiam, quæ de facto sunt certæ, adhuc minor foret occasio peccatorum formalium. In forma dist. antec. nostra sententia est causa per se peccatorum formalium. neg. antec. est causa per accidens. conced. antec. & neg. conseq. Quod enim, homines nollint servare legem Divinam, culpa non est legis, aut DEI, sed malitiæ hominum, in cujus gratiam leges non debent tolli. Aliud est, si per nostram sententiam imponeretur onus humanæ fragilitati nimium, quod tamen planè non fit; est enim valde moderatum, debere tantum obligationem vereri, quando notabiliter probabilior est: Si autem etiam obligationem æqualiter probabilem deberemus attendere, tunc utique esset major difficultas *ex n. 327.* Cæterum non debet quæcunque occasio per accidens tantum peccati à legislatore caveri: & præsertim, si eà amotà sequeretur nimia laxitas disciplinæ, vel inutilitas legum.

391. Dices 2. Deberet juxta nos semper

indagari, quanam sententia esset notabiliter probabilior, vel certè æquè probabilis, & non sufficeret, scire, esse Theologicè probabilem: sed sic imponimus hominibus grave onus, quod non probamus: ergo. Resp. Etiam juxta adversarios debet semper indagari, an sententia sit verè Theologicè probabilis, & non tantum tenuiter probabilis: & tamen certum est, plures sententias non esse amplius Theologicè probabiles, quæ inveniuntur hinc inde in libris, præsertim eorum, qui scripserunt ante decreta Alexandri VII. & Innocentii XI. Legant, oblectro, adversarii, quæ Cardenas in *sua crisi Theologica* part. 3, tr. 1. disp. 59. requirit, ut quis possit judicare de probabilitate sententiæ: item quæ la Croix l. 1. n. 119. item n. 150. 152. & 165. & non erit multò majus onus in inquirenda probabilitate æquali.

In forma dist. ma. deberet juxta nos indagari, quanam sententia sit absolute æqualiter probabilis. neg. maj. quanam respectivè ad operantem, seu ipsi operanti, sit æqualiter probabilis. conced. ma. & sic dist. min. neg. conseq. hoc enim onus, quaecunque sit (quamvis adversarii valde id augeant) sufficienter probavimus. Dein, ut diximus n. 264. dubius de lege, debet morali diligentia veritatem inquirere: si quis igitur hanc sufficientem adhibuerit, tunc (ut rectè ajunt Ralsler in *synopsis parte posteriore* n. 120. & Kreslinger in *sua dissertatione* q. 3. num. 111) vel percipit, intellectum suum vi rationum satis clarè, ac sensibilibiter ad assensum magis trahi à fundamentis opinionis tutioris, tanquam notabiliter gravioribus, vel non percipit: si secundum, datur moraliter æqualis probabilitas, & licet sequi etiam minus tutam: si primum, non est amplius difficultas in indagando, vel intelligendo, sed exequendo, quam superari debere, nostræ rationes probant.

392. Circa hanc tamen diligentiam, requisitam, ut ignorantia non sit vincibilis, aut imputabilis, imprimis auctores conveniunt, quod non debeat esse summa; aliàs quis vellet esse confessarius, vel consiliarius? vel quis auderet, aliquid minus tutum facere? P. Suarez tom. 5. in 3. p. disp. 4. sec. 8. n. 19. ait, debere esse moralem, qualitati operis, vel ministerii accommodatam, e. g. ut ait, indoctus debet consulere doctos viros, vel peritos ejus rei, & carentes suspitione, quod ex malitia sint ipsum decepturi. Doctus debet Doctores aliquos evolvere, vel leges ipsas mediocri diligentia inquirere, iisque intelligendis studere: nam neque adversarii dicunt, quod semper ad habendam veram probabilitatem Theologicam sufficiat, inspicere tantum unum authorem; quia multi, etiam magni viri, quandoque defendunt sententias, modò non amplius Theologicè probabiles.

Ubi tamen nota, hanc diligentiam mediocrem, debere esse proportionatam circumstantiis rei, & operantis; ut advertit Suarez *locomodo citato*; nam utique in gravioribus negotiis debet adhiberi major, quam in minoribus: & majorem quoque debet adhibere doctus, quam indoctus; hic enim, ut communiter docent, satisfacit quærendo pro rei gravitate doctos: doctus, ut ait Rhodes *tr. 4. de peccatis* disp. 2. q. 1. f. 1. §. 2. de-